D. O. M.

QVÆSTIO MEDICA

PROPOSITA A CLARISSIMIS VIRIS D. D. DECANO ET DOCTORIBVS MEDICIS Collegij Rothomagenſis pro aggregatione diſcutienda.

An grauidæ hyſtericæ ſaphenæ ſectio? 64

CVM eſſe ſemper melius ſit, quàm ad definitum tempus eſſe, natura æternitatis deſiderio flagrans, quod in indiuiduis breuì pereuntibus non potuit, id ſaltem in ſpecie eſt conſequûta; quapropter rebus omnibus in hac elementari ſphæra viuentibus, internum quoddam generandi principium vt ſpecies ſalua conſeruaretur à natura conceſſum fuit: hoc ſemen eſt quod licet corpus ſolidum in ſtirpibus, liquidum ſpumoſum in animalibus, nullam generantis, nec generandi figuram oculis ſubijciens, vtrumque tamen vitalem auram in ſe recludit, plena inſignitam ſcientia, poteſtatibuſque neceſſarijs, rerum in ſua deſtinatione agendarum ornatam, quibus ſpecies propagetur, & parentum in filios traducatur ſimilitudo. Quidquid igitur in mundum venit per naturam, neceſſe eſt habeat ſuorum motuum initium, excitatorem & directorem internum generationis, quod & materiam præparet diſponat & perficiat, & generatum ad finem ſuæ ſcenæ comitetur; illud eſt per quod, æternitate immutabili continuantur viuentium ortus & procreationes.

HOMO licet animalium & inferioris mundi princeps, vniuerſæque naturæ compendium habeatur, cujus anima Diuini Luminis Radius eſt immortalis, quia corpus ex elementorum congerie ſortitus eſt, ſimilibus oritur initijs eodemque fato terminatur: Maris & fœminæ ſexu vt reliqua animantium genera diſtinguitur, ex quorum conjunctione & copula, per libidinis ſtimulum emittitur ab vtroque ſemen, totam illorum vim & poteſtatem continens, & tanquam confluentibus, principiorum & facultatum vicariis aut inſtrumentis, tertium quid (quod nouus homo eſt) generatur. Mas eſt qui in alio generat, fœmina vero quæ in ſe ipſa: Ille à quo motus procreationiſque manat origo, vi majore ac facultate præditus eſt, vt ſemen melius concoqueret & extra ſe eijceret, fœmina vero Imbecillior eſt, vt illud efficiendi principium ſuſciperet, materiam idoneam ſubminiſtraret, & locum generationi præberet: differunt etiam certa quadam temperie, & partium genitalium ſtructura, non autem ſpecie & eſſentiali formâ, Mares enim Calidiores & ſicciores ſunt, fœminæ vero frigidiores & humidiores.

PRO differentia actionum quibus fœminæ à maribus diſtinguntur, quæ potiſſimum à conceptu, partu, & educatione ſumuntur, ſuos particulares patiuntur affectus, quos inter, ex proprio vteri vitio natos, præcipuum locum obtinet πνίξ ὑστερικὴ, quæ non ſolum ægrotantibus, ſed Medicis aſtantibus timorem inferre ſolet; hæc magna reſpirationis offenſio, cum totius corporis refrigeratione ex vteri vitio definitur, quæ virginibus ætate prouectioribus, viroque maturis, libidinoſis, vt & viduis ad venerem proclimioribus, authore GALENO, Magis eſt familiaris, dum ſcilicet earum vteri ſalaciores, ſuo veluti genio defraudati, vel ob coïtum denegatum dum turget Materia ſeminalis, vel obſanguinis menſtrui, aut prauorum humorum in vtero aut circa vterum cohibitionem, vel etiam ob inanitionem & ſitim, moleſtiam ſuam partibus ſocietate vel affinitate conjunctis, permotum aut per anathymiaſim impertiunt, hinc aphonia, à Iecoris & Diaphragmatis compreſſione, ſyncope à virulento vapore cor & orificium ventriculi malè afficiente, ſtridor dentium, frigus, Conuulſio ab eiuſdem vellicatione compatiente cerebro; Catoche, ab eadem Anathymiaſi rapta in ſomniorum officinas; ſtrangulatio ab eius copia facultatem vitalem obruente & reſpirationis vias præcludente.

PRÆDICTA Symptomata quæ Virginibus & viduis familiaria magis eſſe creduntur, grauidas tamen plerumque mulieres infeſtant, in quibus ſemen aut praui quidam humores, circa vterum contenti, Ibidemque corrupti (non ſanguis menſtruus qui totus in ſecundinarum generationem & fœtus nutritionem conſumitur) venenatam auram expirant, furoremque vtero concitant, qui tandiu perſeuerat, donec euacuato humore putrido, & diſſipata tetra caligine, corporis & animæ facultates intercipiente, ſpontè quieſcat, aut arte exhibito ſpecifico ſedetur; Plurimi enim morbi medicamentis, qualitatibus maniſeſtis agentibus non cedunt, qui proprietate ſubſtantiæ fœliciter vincuntur. Sic rabies, Irati hominis, ſerpentiſque morſus, Ictus veſpæ, ſcorpionum ſcabies, lepra, & cæter. Id genus, in quibus non tam quantitas humorum, quam veneni energia, grauiſſima infert ſymptomata, ſanantur: quatenus per arcanum, aut malitia veneni edomatur aut partium natura conſeruatur. Quod ad prognoſim ſpectat, Hyſtericus hic affectus longè periculoſiſſimus exiſtit, ob paroxyſmorum crebrò repetentium vehementiam, qui non à ſuppreſſis menſibus dumtaxat, ſed à retento etiam ſpermate putrefacto, atque corrupto, venenatamque malignitatem adepto excitantur.

MEDICVS ratione & experientia nixus, ſumptis ab ægrotantis natura, & conditione morbi ſuis indicationibus, hyſtericæ ſuffocationi medebitur, quæ ſi virginem aut viduam premat, præmiſſis generalibus remediis, præſertimque ſectione ſaphenæ (ſi ſupreſſa menſtrua ſint & remediorum ſit æqualis neceſſitas, modòque vrgentiora non adſint ſymptomata quæ medendi rectam methodum peruertunt) conjunctæ cauſæ euacuationi ſedulus incumbet: has igitur ſic affectas tali methodo curabit. Præmiſſo balano aut acri clyſtere, Iterato ex oxycrato camphorato, admotis fœmoribus cucurbitulis, ſuffitu odorantium, fœtidorum olfactu, vt olei ſuccini, plumarum perdicum vſtarum, potione theriacali, necnon ex oxycrato parata, paroxyſmo liberare tentabit; quibus nihil aut parum proficientibus, ſuus etiam ſpecificis locus erit, aquis ſcilicet Camphoratis, pulueri ſecundinarum puerperæ quæ primum marem enixa ſit, coitui denique licito; illa enim veneris Incendium extingunt, furorem vteri compeſcunt, hic vero conjunctam morbi materiam reſoluit. At in grauidis cautius ſe gerere oportet, in his enim vt non tutus eſt graueolentium odor, ſuſpectus odoratorum & fragrantium ſuffitus, periculoſa ſunt quæcunque vterum commouent, facultatem expultricem irritant, ſpiritus reſoluunt, ſyncopem & animi deliquium faciunt, partum accelerant, conjunctam morbi materiam non eliminant, partiumque frigus adaugent (qualis eſt ſectio ſaphenæ) quæ neque à natura, neque à rebus contra naturam indicatur. ERGO

Hyſtericæ grauidæ, non ſaphenæ ſectio.

ASSERTIONES.

Molam ſola mulier non generat.
Gemelli fiunt vno concubitu.
Superfœtatio poſſibilis.
Melancholicis vinum.

PROBLEMATA.

An in febrium intermittentium epiſemacia venæ ſectio?
An mulier in hyſterica ſuffocatione ſtuprata poſſit concipere?
An fœminis mares longioris vitæ?
An arte vita prolongari poſſit!

PARADOXA.

Aſtra ſunt ſpecula.
Antimonij & mercurij vires indefeſſæ ſunt.
Puerpera lac ſuum euomit.
Nutrix plorantem ſuum infantem ſentit delonginquo.

Harum Propoſitionum veritatem, Deo fauente, tueri conabitur Magiſter IACOBVS NOEL, *Doctor Medicus Pontaudomaræus,*
Die XIa et XIIa *Martii. R. S. H. Anno M. D. C. LXVI. In aula Carmelitarum. a* 2a *Post Meridiem.*



ROTHOMAGI, apud LAVRENTIVM MAVRRY, in vico nouo S. Laudi, ad inſigne Typographiæ Luparæ, propè Palatium.